
1598









PARADOXA
RERVM COELI, AD EPIPONVM Philuranum, & socios.


ANTONIO MIZALDO Monluciensi, Medico & Mathematico, Autore.



PARISIIS,
Ex Officina FED. MORELLI, Architypographi Regij, via Iacobæa ad insigne Fontis.

M. D. IIC.

Non sine Priuilegio Regis.





ANTONIVS MIZALDVS. EPIPONO PHILVRANO S. D.



E docui variis, dilecte PHILVRANE, *libris,*
Necnon colloquiis, sociorum turba tuorum
Dum præsens aderat, tecúmque attenta sedebat,
Quid cœlum, interitus verũ, vitæq; volumen,
Ah paucis notum, & perpaucis sedulò lectum!
In mundi varios vsus, vertigine mira
Adferat & referat, diuina lege iubente.
Vnde homines, pecudes, stirpes, aër, mare, terra,
Accipiunt motus: & rerum, vt temporis, vna
Non sibi respondet facies, nec perstat vbique.
Admonui rursus, quo rege, & quo comitatu,
Quàm celebri pompa, & quàm mirãdo ordine pergat

Agmen ſydereum, tot iam labentibus annis.
Nil ibi turba nocet, hîc eſt concordia concors:
Nullum diſſidium, nulla hîc ſunt prælia, rixæ
Nullæ: quin iuſtis hîc legibus omnia fiunt.
Quod videant homines, precor, & ſe nocte, diéque
In tam ſublimi, tam vero, támque nitenti,
Et cuique expoſito ſpeculo ſpeculẽtur: Adeſdũ
O mortalis homo, qui cœli lumen in imo
Telluris cœno miſerè reſtinguis: amabo,
Exurge, atque volens oculos ad ſydera tolle:
Aſtra tuos mores formabũt, te aſtra docebunt.
Illa Deo parent hodie, parent velut olim,
Tu cõtrà: quod eis præceptũ eſt, ſemper, & vltro
Explerunt, tu contrà: iucundè, atque decenter
Jlla ſuos motus & lumina, denique quiduis
Dant tibi, dant gratis, quum tempus poſtulat & res:
Tu cõtrà, greſſus nullos, veſtigia nulla,
Lumina nulla moues, vt id vnum agnoſcere poſſis.
Dúmque tuis rebus vigilant noctúque, diúque

Abſque errore vllo, ſeruatóque ordine ſemper,
Tu infandæ Veneri vigilas, vigiláſque Lyæo,
Ne peius dicam: nullo dignatus honore,
Nullóque aſpectu cœlum: ſine quo tibi vita
Eſſe poteſt vlla, ac vitalis ſpiritus vllus?
O curuas in terram animas! ô pectora cæca!
Siccine tranſigitur tẽpus? ſic viuitur? heu, heu:
Sed quorſum hîc ſtupidos Epicuri de grege porcos
Cõuenio, quibus eſt vẽter cœlúmq;, Deúſque?
Ergo te affabor, dilecte PHILVRANE, *cui ſunt*
Et cordi, & vigili ſummè cœleſtia curæ.
Eiâ, macte animi, cœlos cognoſcere perge:
Luminibúſque tuis ſtellantia lumina iunge:
Quod cernes, Deus eſt, mũdi venerabile numẽ.
An dubiũ eſt habitare Deũ per ſydera cuncta,
Ac torquere axem, ſtellis ardentibus aptum?
Ah, utinã mundi talpæ hæc miracula noſſent,
Aut tecũ vellent guſtare, PHILVRANE, *certè*
Hæc terrena inſtar nebulæ cõſtanter haberent:

Et quę post annos aliquot mors omnibus aufert,
Despicerent: sed rari & pauci spernere possunt
Tellurem, atque alis animi se attollere cœlo.
Cur? quia difficile est: fateor sed pręmia magna
Efficiũt facilẽ atque leuem quęcumque laborẽ.
At satis hæc, perchare PHILVRANE, *viue, valéque;*
Atque tibi affines cœlos, & fœdere prisco
Coniunctos adama: quorum in te lucet imago,
Vt tibi perspicuè libro conclusimus vno.
Ast ne materies studiis accommoda desit
Hisce tuis, en mitto nouum, ne sperne, libellum
De rebus cœli variis, variè παράδοξον:
Quẽ dum percurres, summi reminiscere, quæso,
Artificis mundi, cui cœlum & sydera parent.

LVTETIÆ, XVII. Calend. Augusti, 1576. Canicula ibidem cosmicè exoriente.



PARADOXA RERVM cœli non ſpernenda, ad Epiponũ Philuranum & ſocios. Autore ANTONIO MIZALDO Mõluciẽſi, medico & mathematico.

Quòd Planetæ & Stellæ cœli omnes, excepta Luna, ſuopte & peculiari lumine luceãt: nec illud à Sole vel aliunde mutuatum, emendicatúm ve recipiant, & agnoſcant.

PARADOXVM I.

NE SIM, quàm par ſit, præfando lõgior, de re inſtituta dicere incipio. Non deſunt, Epipone Philurane, qui aſtruant ſtellas ſuopte lumine haud quaquã lucere, ſed illud à Sole mutuatum & acceptum longè, latéque

De Lãpyridibus, ſeu cicindelis & noctilucis pulchra.

ſpargere. Cùm tamẽ Lampyridibus & noctilucis vermibus, ſeu muſcis, proprium lumen ineſſe, etiam in tenebris, & citra vllum Solem vltro ac libenter agnoſcant: nec temerè, mea ſentẽtia, cùm Plinius animalcula illa perappoſitè terreſtres ſtellas & vergilias, eorúmque volatus, ſtellantes nũcupare nihil vereatur. Vnde poëta alter Mantuanus,

Splendidulis iam nocte volant Lampyrides alis.

Sed ipſius Plinij verba, ne ſomnium putes eſſe, tibi proferam: Signum cõmune, inquit, maturitatis hordei, & ſationis panici, miliíque ſunt lucentes per arua veſpere, cicindelæ (ita appellant ruſtici ſtellantes volatus, Græci verò Lampyridas) incredibili naturæ benignitate: quæ vergilias in cœlo notabiles cateruâ fecerat. Nec tamen his contenta, terreſtres fecit

alias

alias, veluti ſic vociferans: Cur cœlum intuearis agricola? cur ſidera quæras ruſtice? Iam te breuiore ſomno feſſum premũt noctes. Ecce, tibi inter herbas tuas ſpargo peculiares ſtellas, eáſque veſpere ab opere diſiungẽti oſtendo, ac ne poſſis prætcrire, miraculo ſollicito: Vidéſne vt fulgor ille igni ſimilis, alarum compreſſu tegitur, ſecúmque lucem habet, & nocte? hactenus Plinius. Cùm itaque & ſecum, & ex ſe, nec aliunde lucem habeant Lampyridum corpora, quid de cœleſtibus illis & diuinis, ſimplicibúſq; corporibus elementari mutationi nequaquam obnoxiis, planetis (inquam) & ſtellis, ſentire par erit? Quibus ſi propriam & congenitã lucem adimis, & aliunde lucere aſtruis, ſanè præſtantiora, & excellentiora, maioréque priuilegio dotata eſſe inferiora quàm ſupe-

Naturam inter herbas agricolis ſtellas ſparſiſſe.

riora fatearis necesse est: Ridicula me hercule, ac puerili assertione, ac philosopho homine indigna. Verumenimuerò, hac vinctus compede, effugium & solutionem meditans, mihi fortè obiicies fulgorem illum in Lampyridibus perpetuum non esse, quin potiùs fugacẽ ac temporarium, & ob id nequaquam ante matura pabula conspici, vel post desecta: Quo tẽpore dictæ Lampyrides proueniunt, & certis diebus durant, fœdere sideris Vergiliarũ, quarum partum esse, vt loquitur Plinius, certum est. Euge, si tibi gratis id concedam, ecquid, obsecro, de preciosissimis aliquot gẽmis senties? Quibus & scintillans & radians fulgor natiuus ac perpetuus esse deprehenditur? Vis me verba in rem & exemplum cõferre? Vnum carbunculum ex multis produco: de cuius incomparabili

Lampyrides Vergiliarũ stellarũ partum esse.

parabili luce & ſtellante fulgore, audi, quæſo, quid ſcribat ille idem Plinius in Naturæ hiſtoria, ſupra omne miraculū ſummè admirandus: Principatum, inquit, inter gemmas habet carbūculus, à ſimilitudine igniū appellatus: cuius ſpecies multæ traduntur. Carchedonios vmbrante tecto purpureos videri, ſub cœlo flammeos, & cōtra radios Solis ſcintillare, ac in oculos vibrare dicit Archelaus. Adhæc, in Carchedoniis maribus ſtellas intus ardere, fœminas fulgorē vniuerſum fundere extra ſe. Subdit paulò pòſt: Eſt & carbunculi gemma foſſilis Anthracitis nominata, carbonibus ſimilis, cui igneus eſt color. Huic cognata eſt Sandaſtros dicta, & commendatio ſumma: quòd velut in tranſlucido ſtellantes intus fulgent aureæ guttæ, ſemper in corpore, nūquam in cute.

De carbūculis mira & notatu digniſſima.

Accedit religio narrata à ſiderum cognatione ab inſpectoribus: quoniam ferè ſtellarum Hyadum & numero & diſpoſitione ſtellantur: ob id Chaldæis in ceremoniis habitæ: Inter omnes conſtat quantùm numero ſtellarum accedat, tantùm & precio accedere. Hæc ad verbum Plinius. Cui ſi parum habes fidei, auſculta quid de eadem Carbunculi gemma ſcribat antiquiſſ. idémque ſanctiſſ. & doctiſſ. pater Epiphanius Cypri Epiſcopus: Carbunculus, inquit, gemma eſt in Carthagine Lybiæ, quæ Aphrica dicitur, naſcens. Sunt qui eam reperiri affirmāt, quòd noctu lampadis & carbonis inſtar, vnde nomen habet, ſcintillans eminus appareat. Geſtata quibuſcunque veſtibus tegatur, latêre non poteſt: ſplendor enim eius extra veſtes ſe prodit. Hæc ille ad Diodorum Tyri

Epiphanius Cypri Epiſcopus de Carbunculo.

anti-

antiſtité, de XII. gemmis quæ erant in veſte Aaronis. Quid, amabo te, ex his colligas aliud, quàm Carbunculis mirum ineſſe fulgoré & ſplendorem, minimè mutuatum, fœneratum aut aliunde acceptum, quin potiùs proprium, innatum & congenitum? Quod ſi eſt, vt re vera eſſe conſtat, qua licebit fronte ſuum & proprium fulgorem ſtellis, corporibus omnibus inferioris naturæ longè præſtantioribus, illuſtrioribus & diuinioribus negare, & mutuatum, mendicatúmque prædicare? Sed alia via, hæc tam craſſa iſtorum ſtupiditas hunc in modum dilui & conuinci poteſt. Si, vt aſtruunt, à Sole lucent ſtellæ, ſolari agunt lumine in hæc inferiora, nam earum actio à motu & lumine pendet. Hoc ſi eſt, vnus Sol omnia tam ſurſum quàm deorſum facere ſolus poterit, & in

ſublunares materias ſolus agere. Ex quo fiet vt ocioſa habeatur, & fruſtra ab omnipotēti Deo creata præſtantiſſima illa tot ſtellarum familia. Quod vnum cogitare velle, nedum aſtruere, non eſt Chriſtiani hominis, quin potiùs ἀθέου cuiuſpiam Cyclopis & Epicuri: ſicuti à nobis mō-ſtratum eſt initio noſtræ Harmoniæ cœli & terræ. Concludimus itaque cœli ſtellas & planetas, excepta Luna, à ſemetipſis lucere, & non à Sole, vel adminiculo aliquo aliunde conquiſito, implorato, &, vt ita loquar, emēdicato. Quod diuinis cœli corporibus indignum eſſet.

Cœli ſtellas, excepta Luna, à ſemetipſis lucere.

Quòd planetæ & ſtellæ motu eo propriè, & per ſe moueantur, qui ſolus corporibus cœleſtibus ſuus eſt & peculiaris, nullóque externo adminiculo indigens. Adhæc, quòd clauorum modo in rotis, planetarum corpora in ſuis orbibus non defigantur, nec deducantur. Inſuper

per, quid per stellarum corpora accipi intelligi ve debeat. PARADOXVM II.

HIC mihi monendus es, Epipone Philurane, in cuius gratiam Paradoxa ista scribimus, quòd tametsi Planetæ & stellæ assiduè moueantur, id non habent, nec perficiunt vt inferiora corpora & elementa ex quibus constamus. Nam illo motu per se & propriè mouentur, qui cœlestibus corporibus solis suus est, & rebus immortalibus (physicè loquor) peculiaris. Motu itaque peculiari & cuique suo planetæ in propriis orbibus progrediũtur: nũc accedendo, aliás recedendo, quandoque tardando, nonnunquam accelerando, modò ascendendo, interdum descendendo, & aliter: pro cuiusque facultate à Deo, rerum omnium mundi motore primario,

Quo motu agantur planetæ & stellæ propriè ac per se.

cõceſſa in vſum & γένεσιν ϗ παλιγγένεσιν vniuerſorum quæ inferior natura parturit, fouet & alit. Non ergo violenter, ſed naturaliter: non coactè, ſed liberè, mouentur ſtellæ & planetæ: ita vt eos progreſſus, numeros, ac ordines ſua ſequantur ſponte, quos immortalis, ſapientiſſimus & inuiſibilis ille συμφωνιάρχα & choragus modulatur, ac eis præſcribit. Hinc nimirum fit, vt ab officio nuſquã recedant, nec tot iam labentibus annorũ chiliadibus, eundo ac redeundo defatigentur: aut vlla externa vi, vllóve adminiculo, aut forinſecus accerſita ope aliqua indigeant. Quæ res, & ſi miraculum non paruum habet, ac ſummè ſuſpiciendum, temperabitur nihilominus vbi ſedulò animaduerteris nullum animalium ſeſe natura mouẽtium, alieno & externo inſtrumento egere vt moueatur

Steallas nulla vi externa vt moueantur indigere.

tur

tur, ſed tãtummodo proprio, ſibiq; à natura inſito & congenito. Vnde, ſuus cuilibet animali motus, pro forma & modulo corporis proprius ac naturalis habetur. Sic teſtudines quadrupedando mouentur, ſerpentes rependo, piſces natãdo & lubricando, aues volando, cancri regradatim incedendo, homines ac iumenta pedes alternatim mouendo, & ita de reliquis. Hinc videmus nũc ſurſum, nunc deorſum, quandoque ad dextram, nonnunquam ad ſiniſtram aues volatũ exercere, & piſces natatum: non rarò etiam ſidere, nam ſic vi propria inſtituuntur à natura. Ambulant ea de cauſa aues quædã, vt ciconiæ: ſaliunt aliquæ, vt paſſeres & merulæ: currunt aliæ, vt perdices & ruſticulæ: ante ſe pedes iaciunt nonnullæ, vt grues & ciconiæ: aliquot in ſublime ſeſe attollunt, &

recto volatu, etiam ex aqua sursum tendunt, vt anates: & sic de aliarum volucrium & animantium motibus. Quorum vias & modos vsqueadeo diuersos si admittis & agnoscis in corruptilibus, terrenis & materialibus inferioris naturæ corporibus, num, obsecro, aliquid maius, præstantius, ac diuinius, dabis, concedes & admittes in æthereis, cœlestibus, ac diuinis superioris naturę corporibus, licet via & modo longè diuersis?

Motum corporum cœlestiũ longè esse diuiniorẽ quàm terrestrium.

Nũ pręterea hinc facilè cõcedes stellas & maximè planetas, in suis orbibus, quo solent modo claui in rotis, nullo pacto defigi, nec ab orbibus illis ita moueri & deduci, vt multis visum fuit? Si enim hoc esset, eandẽ semper latitudinem ibi retinerent, vt de longitudine nihil dicã. Adde, quòd si orbibus illis defigi & inseri voluisset cœli & terræ sapiẽtiss. conditor

ditor, credibile eſt ſanè, quòd eos omni ex parte orbiculatos, vt ſunt, nunquam creaſſet: ſed vel acuiſſet, vel in propriis orbibus appendiſſet, vt ſunt lampades in cælatis templorum teſtudinibus, & in aularum laquearibus candelabra: aut complanaſſet, perpolitíſque orbium ipſorum certis partibus agglutinaſſet. Quod ſecus eſſe cōſtat. Non itaque mouebuntur Planetæ motu peculiari & proprio, ad ſuorum orbium motum, vt ſolent currules claui, in rotarum canthis, aut cum naui ea quæ eius tabulatis & lignis ſunt confixa, vel alligata: quin potiùs, vt ſolēt nautæ, qui cum naui & in naui iter ex ſemetipſis particulatim conficiunt, & vi propria, ac naturali motu (quod craſſo quodam exemplo monſtratum ſit) liberè obambulant & incedunt: modò à dextra parte in

Planetas nō moueri propriè ad ſuorū orbiū motum.

ſiniſtram, & à ſiniſtra in dextram, rectè vel obliquè, ſurſum aut deorſum, vt res exigit: quandoque ſtant, nonnunquam antecedunt, & aliàs retrocedunt: vt rerum neceſſitas eos inuitat & admonet. Verumenimuerò, hìc Philurane tyro, cùm de ſtellis toties verba fieri audis, ſcire fortaſſis cupies, quid in hac diſputatione & doctrina dici debeant ſtellarum corpora, quídue pro illis intelligendum ſit. Hunc in modum tibi ſatisfacere pergimus. Scholis phyſicorum penè omnium recepta eſt ſententia, quòd Planetarum, vt etiam ſtellarum reliquarum, corpora ex concretiore ſuorum orbium parte conſtãt: In qua, quoniam plurimùm luminis eſt coactum, ita plus cæteris pars illa ſplendere & lucere obſeruatur. Sed hæc ratio tenuior eſſe videtur ac ſimplicior, quàm vt

Quidnã ſint, quídue dici debeant ſtellarũ corpora.

veram

veram ſtellarum eſſentiã perſpicuè demonſtrare poſſit: plenior itaque hunc in modum tradi poteſt. Stellæ ſunt pars ætheris coacta, globoſa, puriſſima, ſimpliciſſima, lucida (excepta Luna) & diuinarũ facultatum plena. Quæ quidem ſtellæ in certis cœli locis & peculiaribus orbibus, peculiares ſuos motus liberè, vt diximus, peragunt. Cæterùm, corpus illis aſcribi dum audis, vel legis, illud ipſum accipere non debes, perinde atque de elementaribus corporibus pronunciari ſolet: Quanquam cœleſtia corpora dimenſionem recipere quę ſuis circumſcribitur terminis, non inficiamur, ſed mutari vt corpora inferiora, & in alias naturas ac qualitates tranſire, quod elementarium corporum eſt proprium, planè reiicimus. Nam cœlum diuinitatis eſt particeps, & proinde corporeæ

Cœlũ diuinitatis particeps.

& corruptionis expers. commotionis & elementaris alternationis, corruptionísque prorsus expers. Cuius stellæ tametsi assiduè mouentur, id certè non habent nec perficiunt vt inferiora corpora: nam illo motu propriè aguntur, de quo paulò antè abunde scripsimus.

Quòd orbium Planetarũ circuli, lineæ item, & alia pleraque commentitia habeãtur. Adhæc quòd stellarum cœli corpora perappositè sphærica & globosa censeantur. PARAD. III.

VELIM, Epipone Philurane, mihi dicant, qui arbitrantur Planetas, vt proximo capite diximus, in suis orbibus defigi & ab his vehi, vel potiùs trahi, à quibusnam vectores illi orbes, eorúmque circuli moueãtur. Si à propria vi & insita natura id fieri contendunt, cur itidem Planetarum corpora sua quoque vi & insita natura absque alio adminiculo ibidem moueri non admittũt? Præ- *Quæstio pulchra & ingeniosa.*

terea

terea, ſi illa eadem Planetarum corpora, quæ, vt antea ſcripſimus, ex concretiore ſuorum orbium parte conſtare volunt, omnibus in conſpectum prodeunt, quî fit (cùm ſurſum nihil ſit niſi ſplendidum) quòd & orbes ipſi, & eorum circuli varij cum ſuis lineis in eundem proſpectum, idémque ſpectaculum non emergunt? Id cùm minùs fiat, cõſentaneum eſt fateri & circulos, & lineas, & alia plæraque in cœlis nulla eſſe: quin potiùs docendi & demõſtrãdi gratia, à peritis ſolertibúſque aſtronomis priſcis ſanequam ingenioſè commenta, inuenta & excogitata eſſe. Quòd alia ratione cœleſtis doctrina, cœleſtiúmq; motuum cognitio tradi non poterat, nec diſcentium oculis perſpicuè ac fideliter ſubiici. In quo, ecquis, per deos immortales, tantorum virorum in-

Cur tot circuli, orbes & lineæ in cœlo fingantur.

duſtriam planè diuinã, & artificium incomparabile, non ſuſpiciat, prædicet, ac ſumma laude proſequatur? Quis tam ſublimium ingeniorum & illuſtrium hominum Manibus non benè precetur? Nam quid in diſciplinis vtilius, & ad docendum accõmodatius, quàm vt intellectui ſenſus ipſi præſidium ſubminiſtrent, & quod animus cogitando ac meditãdo vix aſſequitur, id ipſum oculis videndũ & manibus cõtrectandum exhibeatur? Hinc, hinc libet, & iure debeo, cum Ouidio exclamare,

Lib. 1. Faſtor. de diuinis rerũ cœli interpretibus.

Fœlices homines, quibus hæc cognoſcere primũ,
Inque domos ſuperas ſcandere cura fuit.
Credibile eſt illos pariter vitiiſque, iociſque
Altius humanis exeruiſſe caput.
Non Venus, aut vinum ſublimia pectora fregit,
Officiúmque fori, militiæue labor.
Non leuis ambitio, perfuſáque gloria fuco,
Magnarúmque fames ſollicitauit opum.
Admouere oculis diſtantia ſidera noſtris:
Aetheráque ingenio ſuppoſuere ſuo.

Rectè

Rectè igitur & ſanequam appoſitè çommenti ſunt priſci recētioréſque Aſtronomi, varietatem orbium, linearum, ac circulorum in cœlis, aliáque plurima de planetarum theoriis colligēda. Quæ omnia, quia cœli moles tota continua cenſetur eſſe, idcirco imaginaria & fictitia prorſus habenda ſunt, ſed artificioſè tamen & Deo præmonſtrante, ſolerter excogitata, ad motus cœleſtes, vt diximus, eliciendos & demonſtrandos. His addunt nonnulli, quòd quæ in ſplēdidiſſimo cœlo non cernuntur corpora, illa nuſquam eſſe coniectandum eſt: Nam vel lucida eſſent, vel opaca: ſi primùm, per ſe viderentur: ſi poſtremum, ſaltē prę-ſente & propinqua luce paterent, vt in Luna apparet: cuius corpus, & ſi obſcurum eſſe dicatur, & ſua natura opacum (vnde ætherea terra olim à

Cõtra eos qui in cœlis circulorũ varietatem ponunt.

quibuſdam vocabatur) nihilominus videndum ſeſe palàm exponit. Si id in cœleſtibus circulis & lineis à Sole minùs fieri poſſe contendis, fortaſſe ab ea ſtella, quam tu in proprio epicyclo ſtare tradis, vel ab vtroque ſimul fieri poſſe, mihi, opinor, concedes. Atqui, nec hoc, nec illo modo lineæ vllæ, vel circuli, vnquam, ne Lynceo quidem, vel ſi quid eo oculatius fabulatum eſt, in cœlis apparuerunt: Quare, vel ibi nulli ſunt, vel ſi ſunt, ocioſi omnes, præter ſcopum naturæ quæ nihil fruſtra agit, cenſentur eſſe, & proinde planetas nullo pacto vehere & recipere. Quo fit, vt illi à ſe ipſis, pro vi cuique diuinitus inſita, vt antea docuimus, moueãtur, ſintq́ue naturæ multò perfectioris quã inferiora corpora: vnde alienis, aſcititiíſque inſtrumentis, vt moueantur, non indigent: aptam &

con-

cõgruam ſuis motionibus, figuram, tam ex toto, quàm in parte adepti. Quæ figura, quorſum, amabo te, orbiculata eſſet, niſi orbiculatim ex ſe mouerẽtur ſtellæ? Nihil ſanè ineptè, nihil temerè, nihil denique abſurdè inſtituit vnquam natura, vel potiùs, diuúmque hominúmq; poteſtas, quin magis omnibus, quoad eius fieri potuit, optimè conſultũ ac proſpectũ voluit. Cur autem orbiculata figura ſtellis potiùs quadret, quàm alia quæuis, demonſtratum eſt nobis in Coſmologia, & vniuerſitatis mundi theatro noſtro.

Cur orbicularis figura ſtellis tributa.

Quòd cœlum corruptibilium omnium qualitatum ſit expers. Et quonam modo ſtellæ ſint dicendæ calidæ, frigidæ, humidæ, vel ſiccæ.

PARADOXVM IIII.

NVNQVAM, opinor, is fuiſti, Epipone Philurane, qui dum cœleſtia corpora, calida, frigida,

humida, ſiccáue eſſe legiſti, vel prolatum audiuiſti, id ipſum, perinde atque de noſtris corporibus, de ſtirpibus & elementaribus materiis dici ſolet, intelligere volueris. Nam corruptibilium corporum & viciſſitúdines ſubeuntium, quarum cœlum prorſus eſt expers, proprium id eſſe, vel ex primis philoſophiæ rudimentis didiciſti. Recordaberis itaq; nullum cœlis ineſſe elementaris qualitatis veſtigium, aut, ſi me academicè loqui mauis, exceſſum. Alioquin, ſiue ita compoſitum ſit cœlum, iam tot labẽtibus ſæculis diſſolutum eſſet, ac tãta ſaltem magnitudine, potentia, & perenni agitatione, cætera perdidiſſet omnia. Itaque, tanquam moderatiſſimum & temperatiſſimũ, omnia commoderat & attemperat, diuerſáque in vnum cõcorditer miſcet. Quando verò dicimus cum

Nullũ cœlis adeſſe elemẽtaris qualitatis veſtigium.

Platone

Platone, non esse in cœlo vllum elementaris qualitatis excessum, intelligimus nullam ibi esse insignē qualitatem, sed potiùs virtutes temperatarum qualitatū effectrices & moderatrices. Atque vbi illic quædam frigida, siccáue, aut aliter, nominamus, hæc Platonica itidem ratione accipimus: vt frigidū dicatur, quod minimi caloris est causa: siccum verò, quod humorē exhibet paucum. Sic Ptolemęus scribit Saturni astrū corpus nostrum frigidum & siccum reddere: quia calorem & humorem nostro minorē fouet & promouet. Quiquidem Saturnus cum suis qualitatibus, tametsi lapidibus & metallis conuenit, adhæc herbis & arboribus quamplurimis (vt in nostro Planetarū Iatromathematico propediem, fauente Deo, docebimus) nec non animalibus & volucribus,

Quid frigidū, calidū, &c. in cœlo.

vt aſinis, mulis, bufonibus, coruis, talpis, bubonibus, & huius plumæ aliis, homini tamen minimè congruit. Rectè itaque deinceps exiſtimabis, Epipone Philurane, primos rerum cœli ſcriptores & perſcrutatores, dum ex ſtellis alias humidas eſſe dixerunt, alias ſiccas, frigidas item, vel calidas, nihil aliud innuere voluiſſe, quàm hanc, aut illam qualitatem rebus inferioris naturæ congruam, pro cuiuſque vi & modulo illa ciere, fouere, vel augere. Non ergò poſthac arbitraberis Solis corpus vſqueadeo calidum eſſe, vt ſuperiora, nedum inferiora vrat & incendat: adhæc, Saturni tam frigidum, Martis adeò igneũ, Lunæ ſic humidum (& ita de reliquis cœleſtibus) vt omnia his qualitatibus corrumpant & perdant. Quin potiùs & veriùs tibi perſuadebis, in aëre & per

Pulchra & notãda pro qualitatibus planetarum.

illum

illum inferioribus rebus ſuas qualitates certa menſura, pondere & occulto defluuio, quantùm non noxia corpora tardant (vt ſcripſit Platonicus Maro) imprimere, imprimendo afficere, & afficiēdo moliri vt rerum omnium prouentus & multiplicatio hinc ſuccedat, ſequatúrque iuſta qualitatum permutatio & alternatio: ex quarum probitate, vel improbitate, hæ aut illæ facultates rebus inſunt, & tam generatio quàm corruptio emanat. Quæ cùm in cœlo nec ſint, nec, vt ibi fiant ſit neceſſe, quorſum calidum, frigidum, humidum, vel ſiccum illic conſtituas? Non itaque poſthac cœlis, eorúmve partibus ſtellatis, qualitates vllas elementares adeſſe cogitabis, ſed potius materiis naturæ inferioris, illas, vt diximus, pro vi cuique ſtellæ indita & congenita deſuper impertiri ac

Nihil humidũ, calidũ, frigid. vel ſiccum in cœlis eſſe.

diffundi. Quod dum audis, non eſt quòd multũ obſtupere debeas. Nam ſub cœleſti orbe quamplurima repe- rias, quæ de craſſa & corruptibili materia, pro ſibi infuſa facultate, id aliis præſtare poſſunt, quod nequa- quam in eis eſſe agnoſcas. Vſque- adeò rebus multis naturalis neſcio quæ energeia & vis adoperta latitat, qua duce, ſtupenda & miraculi ple- na efficere palàm multa obſeruãtur. Quæ natura nos potiùs admirari, quàm ſcire voluit: vnde via omni- bus omniũ oculis clauſa, & humanis rationibus minimè peruia abſolui hęc videmus. Quorum ſi publica te- ſtimonia exigis, præter alia innu- mera, prodigioſas aquarum aliquot vires & naturas, hîc tibi proponere nec grauabor, nec cunctabor.

Lib. Me- tamorph. xv. de

- medio, (inquit Ouidius) tua corniger Ammõ
Vnda die gelida eſt, ortúque, obitúque caleſcit:

Admotis

Admotis Athamanis aquis accendere lignum
Narratur, minimos cùm Luna recessit in orbeis.
Flumen habet Cicones, quod potum saxea reddit
Viscera: & attactis inducit marmora rebus.
Crathis & hinc Sybaris vestris conterminus oris,
Electro similes faciunt, auróque capillos.
Cui non audita est obscœnæ Salmacis vnda,
Aethiopésque lacus? quos si quis faucibus hausit,
Aut furit, aut patitur mirum grauitate soporem.
Clitorio quicumque sitim de fonte leuarit,
Vina fugit, gaudétque meris abstemius vndis:
Huic fluit effectu dispar Lyncestius amnis,
Quem quicumque parum moderato gutture traxit,
Haud aliter titubat, quàm si mera vina bibisset.
Est lacus Arcadiæ (Pheneum dixere priores)
Ambiguis suspectus aquis: quas nocte timeto:
Nocte nocent potæ, sine noxa luce bibuntur.

prodigiosis aquarũ miraculis.

Hactenus Naso: quæ sequuntur de fonte Iouis Dodonæi in Epyro, Lucretij esse admonemus.

Frigidus est etiam fons, supra quem sita sæpe
Stupa, iacit flammam concepto protinus igni.
Tædáque consimili ratione accensa, per vndas
Collucet: quocumque natans impellitur auris.

Scribit præterea Iouianus Pontanus de fonte Sarni, ad hunc modũ:

--- videas lapideſcere Sarni
Cæruleo ſub fonte alnum, filicíſque maniplos,
Et paleæ intortos lento cum vimine culmos.

Hæc illi: quibus ſi fidem detrahis, quòd poëtica ſint, experta ac probata adferam: primúmque omniũ magnetem producam, quem vel è longinquo ferrum ad ſeſe pertrahere, & propria vi ac ſpecifica natura ſibi allicere, nemo, niſi fortaſſe lippus, nõ videt. Proferam & ſapphirũ, quem (modò verus & genuinus fuerit) peſtilentes anthraces, ſeu carbones, loco fugare, & eadem vi ad ſe trahere, fidem facit experientia, rerum incertarum magiſtra certiſſima. Proponã inſuper nobile illud cornu vngulæ Alces, cuius particula annulo incluſa, & medico digito ita commiſſa vt in palmam conuertatur, epilepticos

Pulchra de magnete, ſapphiro, vngula Alces.

in paroxyſmo collapſos, vbi incaluerit, confeſtim excitat & releuat. Quod etiam præſtat illa eadem particula, ſi manui in pugnũ complicatæ inſeratur, vel collo appenſa ita geſtetur, vt cutim attingat: ſicuti multorum experimento compertũ habemus. Poſtremò, ne hîc verboſior apparcã, radicem pæoniæ, præſertim maris, in hoc theatrum proferam: quæ recens collo epilepticorum appenſa, frequentibus Galeni experimentis illos ſanauit. Producerem alia huiuſcemodi ſexcẽta in noſtris naturæ Arcanis, memorabilium Centuriis, Harmonia cœli & mundi ſcripta, niſi præcipuum inſtituti noſtri ſcopum & finem tranſiliiſſe metuerem. Itaque, ſi hactenus propoſita vera ſunt, vt eſſe conſtat, ſi aquæ, plantæ, lapides, & alia corruptioni obnoxia, ea præſtant, agunt, mouẽt

& excitant quæ de omniū ſenſuum exploratione & iudicio non ſuſtinēt nec præ ſe ferunt, ſanè credibile eſt diuina ſtellarū corpora, omnis materiæ & corruptionis expertia, occulto cœleſti priuilegio, multò maiora poſſe. Volo dicere ab inſita vi, humiditatem, caliditatē, &, vt paucis concludā, primas, ſecundáſque qualitates, & alia in naturæ theſauris recondita, ſublunaribus materiis (niſi quantū noxia corpora tardant) facilè conflare poſſe & afflare: Tametſi illa ipſa habere& circūferre nō agnoſcantur: quin potiùs, iis dominari, & ita volēte Deo, pro arbitrio præſcribere & imperare cenſeantur.

Stellarum corpora occulto cœleſti priuilegio admiranda poſſe facere.

Stellas de radiorum reflexione ſurſum facta, vt quibuſdam viſum fuit, nullum calorem deorſum mittere: nec illarum qualitates iudicari verè poſſe ab iis coloribus quos præ ſe ferre exiſtimantur.

PARADOXVM V.

NEMO eſt, Epipone Philurane, in rebus naturæ vel mediocriter verſatus, qui non intelligat qualitates elementares in cœlis, (vt paulò antè monſtrabamus) nullas eſſe: quin potiùs à ſtellis, pro cuiuſque vi, loco & energeia rebus inferioribus, occulto cœli priuilegio, per aërem variè demitti & afflari. Quod qui negat, vel ignorat, obſeruet quotannis diuinam Solis vibrationem, aut, ſi mauis, coruſcationem & radium: Procul dubio fatebitur ipſum Solem vno tempore aliter in hæc inferiora agere, quàm alio, pro eius ſitu & motu in Signifero, quẽ numeroſæ naturæ & multitudinis circulũ perappoſitè vocat Triſmegiſtus. Validius etenim in vna Zodiaci triade, imò verò ſub ſigno vno, agit in res terræ, quàm ſub alio (ſicuti in opuſculo de cœli & terræ harmonia,

Quomodo elemẽtares qualitates à cœlo & ſtellis deorſum mittantur.

abunde & luculenter oſtendimus) nimirum ob eius maiorem, minorémue moram: cui calore de radiorum reflexione deorſum diffuſus, & à propinquiore vel remotiore loco demiſſus, comitem ſe præbet. Quæ quidem reflexio, denſi alicuius corporis obiectu hoſpite aëre fieri ſolet. Iam, cùm in cœlo nullus ſit aër, nihil aëreum, nihil dēſum, & ex vna qualitate in aliam, vt id iterum atque iterum repetam, conuertibile, quomodo illic de radiorum reflexione excitari poterit calefactio, qua aſtra ſurſum incaleſcant, & conceptum hinc calorem, ſpatio vſque adeo immenſo, deorſum regerant & diſſeminent, vt nōnullis aſſerere placuit? Verùm enimuerò, hæc quiſpiā mihi fortaſſis concedens, illico ad alia transfugiet: nimirum quòd calidi & frigidi qualitates, adhæc humidi & ſicci

Nullā radiorū reflexionē in cœlo ſurſum fieri.

ſicci, ideo planetis tribuantur, quoniam eorum colores illas ipſas qualitates præ ſe ferant: & ob id deorſum tales ex ſe promant & tranſmittant. Sic martiæ ſtellæ corpus feruidum cenſetur eſſe ac igneum, quia rutilum & coruſcum apparet: Saturni frigidum, quia liuidum: Solis calidum, quia fuluum: Lunæ humidũ, quia caliginoſum: Veneris ſubfrigidum & vaporoſum, quia albicãs & quodammodo cryſtallinum: Iouis temperatum, quia, vt ſic dicã, argentaureum: poſtremò, Mercurij variæ naturæ, quòd verſicolore ſit aſpectu. Itaque, quia tales apparent planetarij colores iſti, idcirco ſimilia deorſum refundere exiſtimantur. Ego, vt paucis reſpondeam, nunquã eos putaui audiendos qui planetarum & ſtellarum qualitates à colore probant & excipiunt. Nam inter

Rerum qualitates à coloribus non eſſe excipiendas.

philoſophos & medicos præclarè conuenit, colores infidos eſſe teſtes primarũ qualitatũ: etiam ſi tam ſimiles ſint colores ipſi inter ſe, quàm eſt ouum, quod dicunt, ouo, aut lac lacti. Id quod apertè demonſtrabũt flores violæ luteæ & nympheæ, ſeu nenupharis. Quorum illi calidiſſimi ſunt, hi verò frigidiſſimi: licet in luteo colore verſentur ambo. Idem de calce & ceruſa cenſendum erit: quarum illa impensè calida eſt & cauſtica, hæc frigida: color vtrique candidus. Sic flores violæ nigræ & ireos, colorem quadãtenus eundem præ ſe ferunt: hi tamen vt tota planta calent, illi frigent. Addam anemones & papaueris erratici flores, qui & ſi ſub eodem colore militent, qualitate nihilominus inter ſe variè differunt: perinde atque arſenicum cryſtallinum, & alumen ſacchari-

num dictum. Si demonſtrationes iſtæ tibi ſordent, nec valde arrident, hinc anſam arripiam, vt aliquid audacius proferam: nimirum ſideribus colores propriè & peculiariter nullos ineſſe. Quos à varia primarum qualitatum mixtione (quæ in cœlis nulla eſt) fieri, nemo inficiatur philoſophus. Ex quo fulgores & ſplendores libentiùs in illis agnoſcerem, quàm aliud quiduis. Quiquidem ſplendores per aërem diffuſi, quia vno modo noſtros oculos non afficiunt & morantur, ita in ſtellis ſimiles ſibi ſemper non apparent: cùm ob naturam ætherei corporis, vnde ſplendor ipſe exilit, tum ob aëriæ regionis conſtitutioně ſubinde mutabilem, fugacem ac planè variam: Per quam radij ſtellarum modò recti, modò obliqui, & aliter, ad nos demittuntur. Quoniam verò à locis

Sideribus colores nullos propriè ineſſe.

remotiſſimis æditiſſimíſque per aërias plerunque nubes & caliginoſum tractum in oculum defluũt, idcirco varij, vt varius erit aëriæ regionis campus, ad nos deſcendunt, & diuerſimodè picturãtur. Ad quæ viſus noſtri errorem & hallucinationem etiam adiicies: qui quidem viſus, hos vel illos colores in cœleſtibus corporibus, aëriíſque nubibus variè mentiri plerunque ſolet, ob varia medij impedimenta, φάσματα & obiecta. Exempla vt quotidiana, ita minimè obſcura, habes in Sole & Luna: quorum corpora quis non videt lõgè alio colore illuſtrari dum oriuntur occidúntve, quàm vbi cœli culmen poſſident? Adhæc, per vaporoſum aërẽ aliter apparere, quàm per limpidum & ſerenum? Aliter præterea per rubicundulum, vel luteum aërem, quàm per fuſcum & palli-

Vnde oboriatur et mẽtiatur colorũ varietas in ſtellis.

pallidum? In quarum rerum demonstrationibus & causis, quia totæ sunt aëriæ nostræ Ephemerides, & rusticorum Astrologia, verbum non amplius addam.

Nec temerè, nec fabulosè indita esse nomina planetis & cœlestibus signis, seu asterismis: quæ etiã in hunc vsque diem retinentur & vigẽt.

PARADOXVM VI.

Ego in ea semper fui sententia, Epipone Philurane, vt existimauerim nec frustrà, nec fortuitò, nec per iocum aut fabulosè planetis & asterismis cœli indita esse nomina: quin potiùs certa quadam ratione à priscis rerum cœli & naturæ scrutatoribus & nomenclatoribus rite & appositè data fuisse: vt cuiusq; planetæ natura, & asterismi cuiuslibet proprietas similitudine quadam ad posteros transiret, & alter ab altero

Certa ratione à priscis indita esse nomina stellis & signis cœli.

propria appellatione diſtingueretur. Quod etiam ab ipſis hominibus factum, obſeruatúmque reperies, dum rebus nomina impoſuerunt: ſed ita, vt illorum nominum bona pars ab effectis rerum quas indicant, & proprietatibus potiſſimũ deducatur. Sic, quibus in rebus agricultura verſatur, imò verò ars quæuis, illarum rerum appellationes ſanequàm appoſitas agnoſcit. In quã rem ecquis medicos in pleriſque herbarũ medicamentorúmque vulgandis nominibus etiam incubuiſſe ignorat? Laudi itaque dandum eſt priſcis rerum cœli nomenclatoribus primis & illuſtratoribus, ſi hoc idẽ ſeruarunt dum clauſas adhuc in Dei & naturæ ſinu planetarum vireîs, ſignorúmq; cœli ſignificationes, vocibus per quàm accommodis recluſerunt, expreſſerunt & manifeſtarũt.

Quibus non minimùm opis & ornamenti veteres poëtæ etiam attulerunt: dum commentis ſuis, Dij boni, quàm eruditis & ſublimibus! eam philoſophiæ partem quæ ad cœlum & ſtellas pertinet, inornatam relinquere noluerunt. Itaque, quemadmodum illi hominibus nomina effinxerunt, pro eorum virtutibus & vitiis, ſic Planetis, ſignis & ſideribus appellationes quoque ſub fabuloſo velo imponere ſategerunt, quæ per quãdam ſimilitudinem animalium, perſonarũ, aut rerum aliarum, proprietates ipſorum planetarum & ſignorum cœli ad vnguem exprimerent, ac deſignandis cùm corporum tum animorũ conſtitutionibus, quæ ab illis pendent, optimè congruerẽt. Addo, quòd ſicuti nauigationẽ conſuetudo reperit, bellicã diſciplinam vſus, rhetoricam & omnem dicendi

Veteres poëtas non minimùm opis attuliſſe rebus cœli.

artem exercitatio, agriculturam & medicinam aſſidua ac diligens obſeruatio, ita cœli & ſtellarum nomina, motus, vireis, effectiones, ac ſignificata, illa eadem ſedula, iugíſque & indefeſſa obſeruatio rite peperit ac reperit. In qua, cum maiorum noſtrorum ſolertia tota eſſet, necdum tamen cœleſtium corporum rationem ſatis compertam haberet, primùm ignes æthereos, modò ſtellas (quòd illas fortaſſis ſtare putaret) modò ἀστέρας καὶ ἄστρα, ἀπὸ τῆς ἀστραπῆς, hoc eſt, à fulgore, & tum demum ſidera à ſidẽdo, vt Martiano Capellæ placet, nuncuparunt. Tandem verò vbi motuũ cognitio in lucem prodiit, ex ſeptem inferioribus ſtellis duæ Ptolemæo & priſcis τὰ φῶτα, id eſt, lumina, & Moſi κατ' ἔμφασιν, luminaria, nuncupatæ fuerunt. Aliæ verò quinque, ab ipſo errore & vaga peragra-

Rerũ cœli nomẽclaturæ origo et progreſſus.

peragratione, πλανῆται, hoc eſt errantes, ſeu errones dictæ fuerunt: non quòd errent & vagentur ſine certa lege, ſed quòd præter motum cœli quotidianum, quælibet earum motu peculiari liberè & variè conuertatur, vt antea dilucidè & familiariter à nobis monſtratum eſt. Nihil enim errat, vt ſcribit Cicero, quod in omni æternitate progreſſus & regreſſus ad vnguem ſeruat, omnéſque motus conſtantes habet & ratos. Quòd attinet ad cœtum ſuperiorum ſtellarũ quas octauus orbis recipit, inerrantes ac fixas vocauit ſedula antiquitas. Non quòd ſint immobiles, & clauorum modo in curruum rotis defixæ, vt ſuprà docuimus, ſed quòd earum motus poſt centum annos, quod vitæ humanæ ſpacium eſt longiſſimum, vix deprehendatur. De quarũ numeroſo theatro ſicuti pau-

Vnde octaui orbis ſtellæ, fixæ & inerrantes dicantur.

co tempore paucæ dignoſci potuerunt, ita multo & longo, quàm plurimæ innotuerunt. Quas nec fruſtra moueri, nec temere ſua obire munera, non eſt, niſi fortaſſe Cyclops, vel Epicureus quiſpiam, qui negare cõtendat. Verum enimuerò, de ſtellis omnibus citò ac facilè comprehenſæ fuerunt Planetarum peragrationes, naturæ, ac poteſtates, cùm ob propinquitatẽ eorum, tum etiã ob motuum celeritatem. Nam tempora quibus illos abſoluunt, & quid in coniunctionibus, quid item in aſpectibus & ſingulis tum locis, tum ſignis decernunt, induſtria adhibita pedetentim aſſecutum eſt.

Quòd cœlum in res inferioris naturæ quaſi momento agat, & ſummè admiranda moliatur. Adhæc, ſtellarum radios etiam in duriſſima & denſiſſima corpora illico penetrare, & occultas mundi rebus facultates latenter afflare.

PARADOXVM VII.

COELO-

COELORVM magnitudo immensa, virtus & motio facit, Epipone Philurane, vt omnes omnium siderum radij, terræ molem, quæ quasi punctum est ad cœlum, momento & facillimè vsque ad centrum penetrent: ibíque de Pythagoricorum & Platonicorũ sentẽtia fortissimi sint, quia recti & in angustum collecti, & ob id centrum vndique contingentes, ac pulsando ad intima vsque penetrantes: tantùm abest vt superficiem solam, veluti lambendo, collustrent. Quæ res mira videri non debet, cùm aër & qualitas eius, ad hæc sonus illo minùs efficax, solida corpora subitò transmeet, & quadã sua qualitate afficiat. Si verò durities radiis penetrantibus obsisteret, sanè lumen multò citius aërem quàm aquam penetraret: & rursus hanc multò ocius quàm vitrũ, & vitrum

Radij recti & in angustum collecti fortißimi.

ſimiliter quàm cryſtallum. At cùm eodem momento ſolida & denſa, quo liquida & rara cuncta tranſuerberet ac inuadat, hinc perſpicuè conſtat duritiem radiis nullo modo obſiſtere: ex quo fit, vt & metalla & plantæ, cœleſtium corporum radios, influxúſque ex æquo ſuſcipiãt, & ad tempus conſeruent quæ illis cœlitus demiſſa ſunt ac infuſa ex cõcurrentium radiorum contactu & ſpiraculo. Quid hoc, quòd materia durior quò magis obſiſtere videtur, eò plus cauſæ præpotentis ictibus ſeſe exponit? Sic enſis lignum ſub lana incîdit, non inciſa lana: ſic radius fulmineus corio quandoque illęſo, metallum in eo diſſoluit. Cùm verò natura cœleſtis hoc inferiore igne nulla comparatione ſit præſtãtior, non eſt cenſendum radij cœleſtis officiũ duntaxat tale eſſe, quale

Duritiem & denſitatem, ſtellarum radiis nullo modo obſiſtere.

eſt ignei radij opus, nimirum illuminare, calefacere, exſiccare, penetrare, extenuare & diſſoluere, quæ ſenſibus noſtris ſunt manifeſtiſſima: ſed multò plures, mirabiliores, efficacioréſque vires, necnon effectus habere: Alioquin & materia inferior & caducus ſenſus cum diuinitate cœli penitus æquaretur. Hinc ſcilicet multæ emergunt rerum virtutes occultæ & hactenus incognitæ, quæ ab elemẽtari natura manare haud quaquam poſſunt, ſed veriùs à cœleſti. Poſſunt itaque cœleſtes radij occultas ac mirandas facultates, vna cum forma rebus ipſis imprimere. Nam inanimati, vt ſic loquar, non ſunt, veluti lucernæ radij, ſed, vt Academicis viſum eſt, viui & tanquam per oculos viuentium corporum emicantes: vnde mirificas dotes ſecum à mentibus diuinis ferunt

Radios cœleſtes non eſſe inanimatos, vt ſunt lucernarum radij.

ac rèferunt, agúntque in corpora non dicam mollia, ſed & duriſſima: quæ re vera ad cœlum infirma habentur. Cæterùm, variis in ſtellis varias ineſſe vires, Epipone Philurane, tibi certò perſuadebis, & in earundẽ radiis aliter atque aliter incidentibus virtutes itidẽ diuerſas. Adhæc, in radiorum mutuo occurſu & concurſu, hîc aut illic facto, diuerſas plantis, lapidibus, metallis & animalibus vires diffundi & infundi, multò magis & citiùs quàm ab ipſis elementorum, qualitatúmque elementaliũ mixtionibus: multò præterea citiùs, quàm à tonis & numeris aliter & aliter concinẽtibus, moueantur & afficiantur animi noſtri. Si ad hæc ſedulò animaduerteris, nõ negabis, nec diffides ſubitò quodam radiorum iaculatu à diſperſis deorſum cœleſtium corporũ ſpiritibus, & col-

& collectis hinc inde diurnis nocturnísque eorum ignibus, vires inferioribus materiis occultas imprimi, necnon varias ac diuersas, ex diuerso à stellis diuersis iactu & pulsatione. Id quod non admodum miraberis, Philurane, si ob oculos tibi posueris fascinationes repentino quodam intuitu factas, & acerrimos amores, solis oculorum radiis statim accensos. Non dubito te legisse familias quasdã apud Illyricos & Triballos iratas, homines multos solo visu peremisse: & fœminas quasdam in Scythia idem factitasse: Ad hæc, torpedinem pisciculũ solo tactu per virgam illico piscatoris manum stupefacere: & remorã pisciculum aliũ, solo tactu grandem nauem sistere. Hæc, vt alia pleraque prodigiosiora, quæ sciens omitto, si fiunt, quis, obsecro te, negabit cœlestia corpora

Vnde, & quomodo inferioribus materiis occultæ vires imprimãtur.

ſimul atque ſuis radiis ceu oculis inferiora contingunt, afficiunt, & iugiter pulſant, rebus terræ virtutes infundere abſtruſas, à quibus miranda, & vixdum intellecta prodire experimur, modò ritè apparentur & opportunè miniſtrentur? Cùm tu helleborum colligens, ſiue deorſum folium trahas, ſiue ſurſum, hoc ſubito & ſolo tactu cauſa ſis helleboro, vt deorſum educat humores, aut ſurſum, num diuiniore modo & via concedes cœleſtes radios in paratis materiis ſuo contactu multò maiora poſſe? Nonne, cœli vultu ſuffragante, innumerabiles ſæpe ranæ, ſimiléſque animantes, ex arenis & terra vel mométo emergunt & exiliunt? tanta eſt cœli potentia, tanta celeritas & energeia in has mundi inferioris paratas materias. Poſtremò, ſi ignis hic noſter hoc habet, vt quàm breuiſſimo

Pulchra et ſummè notanda ac obſeruanda.

uiſſimo tempore id faciat quòd cætera longo, vel ob id præcipuè quòd ignium cœleſtium craſſa quędam ſit imago, quis dubitet cœlum vniuerſum cum puris, diuinis & efficaciſſimis ignibus ſuis, ac tenuiſſimis & ſimpliciſſimis eorum radiis, longè præſtantiora & efficaciora, ſiue momento, ſiue aliter efficere poſſe, etiã in materia minùs parata, ſicut ſolet ingentior flamma? Pendent itaque rerum inferiorum virtutes à cœlo & ſupernis radiis, à quibus terreſtres materiæ alioquin debiles ex ſe, informantur, iuuantur & excitantur: quo modo in ſuccino latitans virtus paleas trahendi, frictione & calefactione excitari ſolet. Sed in his verſatum hactenus ſatis erit, tãtiſper dum alibi hiſce de rebus & pleniùs & planiùs, Deo fauente, tibi philoſophabimur.

Rerũ inferiorum virtutes à cœlo pendere.

Rerum cœli cognitionem & vsum medicis ac medicæ arti plurimùm conferre, magnúmque ægrotantibus auxiliũ præstare. CAP. VIII.

ANTIQVÆ & confirmatæ eſt ſententiæ, Epipone Philurane, inter eos qui in operibus naturę ſunt exercitati, quòd rerum cœli cognitio (quam & aſtronomiam & aſtrologiam priſci Græcorũ abſque vllo diſcrimine nuncuparũt) medicis doctrina, & nomine præcellere cupiẽtibus, ſummopere amplectanda ſit. Cuius rei ſiquis vetus teſtimonium exigit, ego illi omnium primùm in hoc theatro producam Hippocratẽ bonorum omnium autorẽ, in libro de aëre, locis & aquis, ad hunc ſua lingua loquentem modum, ἰςέον ὅτι οὐκ ἐλάχιστον μέρος συμβάλλεται ἀςρονομίη ἐς ἰατρικήν: hoc eſt, ſciendum quòd ad medicinam non minimùm confert aſtronomia. Quo loco audis priſcos

veteres Græcos non ſeparauiſſe aſtronomiã ab aſtrologia.

priſcos aſtronomiã non diſtinxiſſe ab aſtrologia. Proferã inſuper Claudium Galenum, μισουεργοὺς medicos ad hocce Hippocraticum oraculũ, ceu ad ἐπῳδοῦ vocem obſurdeſcẽtes, tali verbere flagellantem: Qui aſtronomiæ imperitus eſt medicus, hunc celatum nolim, haud quaquam obſequi Hippocrati ad illam cohortãti. Proferam & alterum Claudium, nimirum Ptolemæum σύγχρονον Galeni, in hunc loquentem modũ: Ægyptij prædictionibus aſtronomicis vbique medicã artem coniunxerũt, vnóque verbo aptationem illam & coniunctionẽ ἰατρομαθηματικὴν nuncuparunt: vt aſtronomia declararet aëriarum conſtitutionum proprietates, & quid caſuum cœlũ nos circundans intentaret, cum propriis quorumque cauſis, ſine quibus opẽ certam ferri poſſe non ſunt arbitrà-

Priſcos medicos aſtrologiã cum medicina cõiunxiſſe.

ti. Scientes omnia omnibus corporibus & morbis non cōuenire: Medicina verò efficeret, vt & futuri morbi auerſio, & præſentis curatio, quoad eius certiſſimè fieri poſſet, de concordibus, aut contrariis ſingulorū effectionibus exiſteret. hactenus ille. Sanè, cùm medicina ex ſe præclara ſit ſciētia, medicus nihilominus præclarus ac perfectus eſſe nō poteſt, nec ſalubriter medicamentis vti, abſque aſtronomia: quā, vt dixi, priſca Græcorum gens ab aſtrologia non ſeparauit. Superioribus tantorum virorum teſtimoniis ſubſcribit medicus & philoſophus ille incomparabilis Marſilius Ficinus, cùm alibi paſſim, tum maximè in libro de vita cœlitus haurienda, cōparanda & tuenda, ita loquens: Medicinas cœleſti quodam adminiculo confirmatas, niſi fortè vitam negle-

Aurea verba Marſilij Ficini, & ſummè notanda.

xeris

xeris, ne ſpernito. Ego enim, inquit, frequenti experientia compertũ habeo, tantùm intereſſe inter medicamenta cœleſti adminiculo confirmata, & alia aliter inſtituta, quantùm inter merum & aquam. Sed hîc audire etiam pulchrum erit, quæ à clariſſ. philoſopho & mathematico Gaſpare Peucero ſcripta ſunt. Hippocrates, inquit, admonitiones & præceptiones de obſeruandis orientium & occidentium ſiderum momentis, & hinc præmetiendis ſecuturis tempeſtatibus ſæpe in ſuis voluminibus ſparſim repetiuit, ac ſedulò iis conculcauit quos ex ſchola aliò ad exercenda faciendáque artis opera ablegauit: tanquam rem magni momenti & planè neceſſariam prænoſcendis, anteuertendis, & depellẽdis, ſi inuaſerint, morbis. Poſthæc addit: Galenus Dioclem Cary-

ſtium (qui ſecũdus, Plinio teſte, poſt Hippocratem ætate, famáque extitit) teſtem citat affirmãtem, non ſui ſæculi ſolùm, ſed & veteribus medicis obſeruationes ſiderum vſitatas fuiſſe. Illud verò & ego aſſentior, inquit Peucerus, & nemo inficiabitur, quòd quiſque penè in ſingulos dies experitur, affici aliàs aliter diuerſis cœli cõſtitutionibus principes corporum noſtrorum parteis, quique his adſunt & ſeruiunt humores ac ſpiritus. Vnde fit vt ab aſtris, ceu partialibus cauſis, interdum ſimus ad cogitandum, gerendúmue aliquid alacriores & expeditiores, interdum minùs idonei. Subſcribam alterius philoſophi & mathematici clariſſimi Hieronymi Vvolfij elegantem in eam rem ſententiam. Si corpus, inquit, ad aliquem morbũ eſt propenſius, maturè ſemina illius

Veteribus medicis obſeruationes ſiderũ vſitatas fuiſſe.

morbi

morbi cauenda ſunt ac tollẽda: quæ iam medicorum prouincia eſt: qui ſi aſtrologiam cum ſua arte coniungerent, profectò ſuo munere maiori cum laude fungerentur. Verumenimuerò, dimiſſis recentiorum teſtimoniis de applicanda medicina cum aſtrologia, ſuperioribus multò antiquiora in medium proferamus, vnúmque Mercurium Triſmegiſtũ, qui Moſi ferè contemporaneus extitit, ceu ſummũ hiſce de rebus Ariſtarchum & cenſorem nunc demũ accerſamus, eúmque è ſuo Græco, Latinè per nos ad hunc modum loquentẽ, attentiſſimè, quæſo, audiamus. Neceſſe eſt, inquit, eum qui artem medicam exercet, diſpoſitionẽ mundi noſſe, ac ſtellas contemplari, & quo pacto ſe habeant inuicem. Nã nihil in rebus humanis fit abſque illarum complexu & congreſſu: non

Ex libro qui inſcribitur ἰατρομαθηματικὰ, ad Ammonem Ægyptiũ.

acuti morbi & præcipites, non periodici & per ſtatos dies recurrentes: Imò nec ſeruatur quis à medicina, nec qui curæ habitus eſt diligenti, incolumis degit, aut moritur, niſi cœlo conſcio. Oportet igitur medicum exacta ſedulitate decubitũ eius, qui corpore eſt afflicto & infirmo exploratum habere: nimirum, qua hora & temporis articulo morbus irruerit. Quod ſi ad vnguem deprehendere nequeat horã in qua morbus ſuum nunciauit aduentũ, erigat aſtrologicũ thema, & obſeruet quo pacto diſponatur cœleſtis mundus, atque adeò cum qua ſtellarum Luna rationem habeat & commercium, &c. Hæc ad verbum antiquiſſimus ille & ter maximus Mercurius: quẽ inter Sibyllas collocare non veretur Lactantius Firmianus. Sed de coniunctione rerũ cœli cum medicina,

tibi pauca hæc, Philurane, in præſentiarum ſatis erunt. Nam & pleniùs & explicatiùs ea de re, fauente Deo, ſcripturi ſumus, & propediem publicaturi ex libro cui titulum damus Planetarum Iatromathematice, ſeu medica æquè ac aſtronomica de Planetis narratio & doctrina, ad rerum cœli Tyrones ſocios tuos.

Deum Opt. Max. totius vniuerſitatis mundi authorem & moderatorem, diuinitatis ſemina vbique ſpargere, & per ſingulas mundi particulas, nedum in planetis & ſtellis ſolis relucere. CAP. IX. *pro Coronide.*

GENTIVM omnium & populorum philoſophia, nedum Chriſtianorum communibus ſententiis, Epipone Philurane, eò ſemper tendere mihi viſa eſt, vt & cœlum, & vniuerſa quæ inferior mundus caduca & fragilia continet, proximè à

Omnia tã sursum, quàm deorsum, à Deo creata esse.

Deo creata esse prædicauerit: & ab eodem vires accipere, retineréque diuinas, siue patẽtes illæ fuerint, siue occultæ. Qua persuasione moti veterum plerique, Deum per omnes naturas esse diuisum, eiúsque numinis plena esse omnia, dicere nihil sunt veriti. Quòd vis illa diuinitus accepta in omnibus eluceat, ac per omnia longè, latéque fundatur: sed aliter per terram, aliter per cœlos. in quam rem diuino ore philosophãtem Mercurium Trismegistum audire pulchrum erit: Deus, inquit, totius expers inuidiæ, per singulas mũdi parteis vbique splendet: atque adeo se notum præstat, vt non intelligere modò, sed manibus etiã ipsis, vt ita dixerim, attrectare liceat. Nam vndique oculis nostris eius imago obuersatur, séque passim obiicit & inculcat. Cùm Deum videre volueris,

Mercurij Trismegisti aurea verba, ex suo Pymandro.

ris, ô fili, ſuſpice Solem, ſuſpice Lunæ curſum, ſuſpice ſiderũ ordinem reliquorum. Quis, agè, perpetuum horum ſeruat ordinem? Quis mare ſuis ſinibus circũſcribit? Quis terræ pondus ſiſtit ac librat in medio? Eſt certè, aliquis, ô fili, horum autor & dominus: atque vtinam tibi daretur facultas, vt alarum adminiculo in ſublimem aëris plagam volares, mediámque inter cœlum & terram regionem ſortitus conſpiceres terræ quidem ſoliditatem, maris diffuſionem, fluxum fluminum, aëris vaſtitatem, ignis actam celeritatẽ, aſtrorum curſus, & cœli rapidam velocitatem. O fœliciſſimum, fili, ſpectaculum, ô beatiſſimam viſionem! Si quidem vno oculorum motu ſeriem mundi totius comprehenderes, immobilem factorem, concitum, latentem quoque perſpicuũ cerneres.

Deum per omnes naturas eſſe diuiſum, & eius numinis plena eſſe omnia.

Quòd ſi etiam per ea quæ terra ſuſtinentur fragilia, & quæ profunditate conduntur, Deum artificem inueſtigare volueris, facilè tibi erit inuenire. Caue, ô fili mi, caue ne vnquam artificium priues artifice. Quinimo, congruo Deum nomine patrē omnium vocato, patrémque eſſe, proprium eius opus exiſtimato. Quòd ſi me quiddā audacius, ô fili, proferre coegeris, eius eſſentiam eſſe dicam concipere, ac facere ſingula. Cùm ſtatuam & imaginem abſque fabro & pictore fieri nullus aſſerere audeat, miram huius mundi cōſtructionem, ſine conditore conſtitiſſe putabis? ô cœcum homunculum! ô nimis impium! Quemadmodum ſanè ſine factore fieri quidquam nequit, ita Deum exiſtimare niſi ſemper agat omnia impoſſibile eſt: in cœlo videlicet, aëre, terra, mari: in

toto

toto mundo, in qualibet mundi particula tota: tum in eo quod eſt, tum in eo quoque quod non extat. Nihil enim eſt in omni natura, quod ille ipſe non ſit. Eſt ille ſiquidem quæ ſunt, & ea etiam quæ minimè ſunt. Quęquidem ſunt, deduxit in lucem, quæ non ſunt, occulit in ſeipſo. Hic Deus nomine melior, hic occultus, hic rurſum patentiſſimus, hic menti conſpicuus, hic præſens oculis, hic incorporeus, hic, vt ita dixerim, multicorporeus. Nam nihil in corporibus eſt, quod ipſe non ſit: omnia enim ipſe ſolus exiſtit. Nomina inſuper habet omnia, quoniam omnium vnus eſt pater. Nomen quoque nullum habet, quoniam pater eſt omnium. Et ſi quid aliud quis cogitat, vel etiam cogitabit vnquã, id omne Deus agit: Actio Dei poteſtas inſuperabilis: cum qua nec

Mira de Deo philoſophia, & eius, vt ita dicam, omnipotẽtia.

humanā vim, neque diuinam vllam comparare quis audeat. Caue igitur ne quid infernorum, ne quid etiam supernorum Dei simile cēseas: nam à veritate penitus aberrares. Nihil quippe simile eius est quod dissimile, solúmque & vnum est. Neque cuipiam putes eandem quę Deo vim adesse. Quid enim post illum tale & ad vitam & ad immortalitatem, & ad qualitatum transmutationem? Ociosus non est Deus, nam ociosa forent omnia: cuncta siquidē plena sunt Deo: ocium verò in nullis mundi partibus reperitur. Agè, contemplare per me subiectum tuo conspectui mundum, atque eius diligenter circumspice formam, inuiolabile corpus, quo nihil antiquius, per omne quidem adultum ac virens. Inspice præterea mundos septem superpositos ornatu mirifico fabricatos,

Ociosum non esse Deū, aliter ociosa forēt omnia.

ordine

ordine ſempiterno, & indefatigato curſu ſuo differenter complentes æuum, plena lumine ſingula. Eſſe itaque horum omnium autorem præ cæteris eſt perſpicuũ. Quiſnam iſte? quis alter præter vnicum Deum? Num alteri cuipiam quàm ſoli Deo conuenit procreare viuentia? Vnus itaque Deus mundum vnum eſſe voluit, & Solem vnum, vnicam Lunam, vnam quoque diuinitatem: qui ſingula faciens in multis, vnus cœli ac terræ conditor erit & moderator. Hæc in Pymandro ſuo Mercurius Triſmegiſtus. Quæ pro coronide huius Opuſculi, hîc attexere viſum fuit, vt videant Epicurei & videntes agnoſcant quàm temerè, impiè & ſceleratè de Deo, Dei prouidentia, mundo, cœlo ac ſtellis nugẽtur, & prophano ſacrilegóque ore mentiantur: cum abſurdarum opi-

Epicureorum ſcelerata impietas & temeritas.

nionum, ociíque & omnis impietatis eorum magiſtro Epicuro. Cui, pro merito trophæo, τετράστιχον hoc deuouemus,

Ride, Epicure, Deum: gere neſcia pectora fati:
Finge nihil cœli ſignificare faces.
Crede mihi, ad nigrũ quando raptaberis Orcum:
Hîc tua quod plectat ſcommata Numen erit.

Habes, EPIPONE PHILVRANE, Paradoxa aliquot de rebus cœli dubiis: & in quibus vix dum inter doctos bene conuenit. Scripſi autem de iis, vt tibi, ſociíſque tuis tyronibus ſatisfacerem, potiùs quàm vt ſuper his Ariſtarchum, aut Palæmonem quempiam agerem. Quæ res me ab eruditiorum graui cenſura, & liuidorum mordaci dente tueri poterit. Cæterùm, ſi quid perperam hîc nobis ſcriptum fuerit, tibi Philurane, qui me familiaribus demonſtrationibus vti velle efflagitaſti, aſcri-

batur.

batur. Poteris deinceps rogare peritiorem quempiam rerum cœli interpretem, vt

-- si quid rectius istis
Nouerit, exponat: sin minus, ista ferat.
Hoc lex, hoc pietas, hoc vult Deus, omnia nō dās
Omnibus: eximia pro bonitate sua.

His hactenus tibi positis & propositis, ne quid in hoc planetarum collegio desideres, me ad ἰατρομαθηματικὴν Planetariam, paulò post, tibi, & sociis ex vmbra in lucem proferendam, stylum conuerto. Tu interea pręsentibus vtere, ac fœliciter fruere.

FINIS.